



Petrus dictus Beneuuitz ex Leysnick natus à pueris operam literis dedit, & in omni genere artium plurimum profecit. In primis uerò Mathematicis disciplinis incubuit, atq; in ijs talis euasit, ut astrorum cognitione nulli secundus esse uideretur. Itaq; Ingolstadtij professor cōstitutus, eas disciplinas publice docuit, atq; iam antea celebrem scholam suis lucubrationibus plurimum exornauit. Id cum Carolus Cæsar cognouisset, eum in Mathematicis instrumētis præceptorem elegit, atq; Petri auspicio in ijs disciplinis magnum sibi iudicium comparauit. Scripsit is librum Cosmographicum, cum multis & uarijs figuris ac instrumentis, qui 1524 fuit edi-

tus. præterea liberalitate D. Raymundi Fuggeri collegit inscriptiones sacrosanctæ uetustatis totius ferè orbis, ubiq; elegantes figuras adiecit, atq; Ingolstadtij in propria typographia edidit. Plura quoq; Astronomica instrumenta confecit, & admirātibus cunctis posteritati cōspicienda proposuit. Cum hoc modo diu perseverasset, & Mathematicæ & Typographiæ studijs inuigilasset, tandem anno ætatis 52 obiit, & apud suos Ingolstadtij honorificè sepultus fuit. Eius filius Philippus Medicinæ Doctor hodie superest, qui magna laude in Academiâ Ingolstadiana, suam artem docendo & exercendo, omnibus bonis innotescit. Conrad. Gess.